

# De Caballo Marino.

**A**ijmá Sinici duo Charakteres marinum equum Significant; illū omnino sicuti equum cum jubā à Sinis depictum spectavi. Verum ex oris utraque parte prominentes, cornuum ad instar longos & ramiferos dentes habebat, ita illius figuram, (vt hic vides) Sinensium Pictores effingunt.

Duplex Schema veri equi marini subieci, quorum cum essem Mozambici in Africā, aut verius Capraria, greges ad litora marina in aqua non adeo profundā voluntari pluries vidi. Quidam amicus, Civitatis Judex, vel, ut vocant Lusitani, Ovidor, misit in Collegium nostrum animalis recisum caput, ut illud spectarem; habuit ab ore mensurando versus scapulas, tres cubitos, ex parte inferna duos recurvos maximos dentes, quibus supernè similiter grossi sed longe minores aptè congruebant, ex parte infernā duos ibidem oblongos, sed rectos ad labium prætensos, supra quos lingua expansa reclinabat. Cū verò postea à quodam Nobili Lusitano ad interiora continentis Cafrariæ, è regione Insulæ Mozambici perlustranda fuisset invitatus, radentes littora maris in navi (quam remis 20. mancipia remigando propellebant) vidimus ad jaētum vnius lapidis hinnientes equos marinos 50. qui modo omnes simul, modo aliqui in illa maris parvā aquā sese demergebant, & non injuncto nostro spectaculo iterum emergebant, sæpius postea alios non sine metu, ne videlicet in nostram navem, in quā triginta vehebantur aliqui irruerent, pertransivimus, E mancipijs nonnemo Cafer direxit sclopētum, in quandam ex bestijs marinis proximè volitantibus, & felici ictu frontem illius inter oculos ferijt, vnde perempta bestia ibi hæsit. Cum ergo postea reliqua animalia in profundius mare meridiano tempore recessissent, neque ille equus amplius hinnire aut voluntari videretur, sed immobilis in loco maneret, Cafer cum socijs proprius accedens occisum reperit, quem & statim, non sine tamen difficultate ad nostrum mappale delatum spectavimus. Posteaquam autem carnem inter se Cafres diviserunt, dentes majores extractos mihi obtulerunt. Pellis adeo dura huius animalis fuit, ut sæpius acutis lanceis suis Cafres illam perforare nequiverint. Nullibi pilos habet, præterquam in extremitate caudæ, qui planè, atque si ex cornu nigro essent, pellucidi & flexibiles sunt, ideoque non facile rumpuntur, & cum grossitie calamum adæquent, ex singulis pilis armillas faciunt singulas, & plerique Cafres, Viri & fæminæ manus illis, (sicut & ex Elephantorum contritis capillis), adornant, ajunt à paralysi, qui illas armillas deferunt, immunes reddi.

Ex dentibus animalis solent in India, ac præsertim Goæ globulos precarios, statuas sanctorum, & etiam crucifixos conficere. Compertum quoque est dentes & ex illis coronas, sanguinis profluvium posse sistere. Verum non promiscuè Cujuslibet equi Marini dentes istam virtutem habere experientia docuit, proinde crediderim ego tempus aliquod certum observandum, quo equum marinum occidi necesse sit, ut illius dentes illâ virtute polleant. Aliqui, cum scinditur vena, sanguisque profluit, dentem, aut ex illo globulos precarios admovere solent, & ita, num virtutem sanguinis sistendi, obtineant, explorant. Scio & Goæ

M

IN